Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26908
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Incipit vita sancti Ieronimi presbiteri.

Incipit vita sancti Ieronimi presbiteri

Plerosque nimirum illustrium virorum non ambigo nosse: quo natus quibusque doctoribus sit eruditus litteris: quoue quiescat sanctus Ieronimus loco. Verumtamen quibus non vacat legere plurima vel minima valentibus, et hoc si voluerint opus compendiosa brevitate compositum studeant scire: Beatus igitur Ieronimus, genere nobili est ortus patre videlicet eusebio nomine oppido stridonis quod a gothis eversum, dalmatie quondam pannonieque confinium fuit. Congrue sed eusebio generatus est patre: Eusebius namque attice romane vero dicitur pius. Ieronimus autem eolice, latine autem omnino sacra lex intelligitur: Iure igitur Ieronimus id est sacra lex de pio patre gignitur eusebio, cuius labore ebreorum scriptis absque omni scrupulositate alma patefieret lex: que humano generi sua auctoritate remota prius ac sacrum mysterii condensque patrie nuntiaret venturum. Qui ut inter puericiam adolescentiamque incederet medius instinctu tactus celesti, finibus cunctis cum censo paterno relictis ut perfectus imitator euangelii, quivisset existere: ingressus namque arcum flamine secta ad limina sublimium apostolorum petri et pauli, divinaque dispensante clementia romanam properans adiit urbem: In qua videlicet litteris grecis ac latinis diligenter ad plenum eruditus apti veste susceptus presbyter quoque cardinalis inde est ordinatus. Nam ut inexpugnabile sue ecclesie dominus murum contra perfidos dementesque erigeret hereticos. Hunc uno in militia studiis plerique erudiregere fuere: Donatus namque artigraphus romanus eum tribuens elementis libaturumque sufficienter sapore artium repletus magister extitit illi, sicut ipse in chronica sua meminit dicens: Victorinus rethor et donatus grammaticus preceptor meus, rome insignes habebantur: Gregorium namque nazanzenum ut idem in tertio explanationum ysaie refert: didascalum fuisse testatur: Nam cum in predicto propheta ad eum venisset locum, ubi de seraphim quedam debuisset exponere, ita intulit dicens: De hac visione ante annos circiter xxx cum essem constantinopolim et apud virum eloquentissimum gregorium nazanzenum preceptorem meum, eiusdem urbis episcopum sanctarum scripturarum studiis erudirer: scio me brevem subitumque dictasse tractatum, ut experimentum caperem ingenioli mei, et amicis habere cupientibus obedirem: Quid vero de his viri eleganti industria, quam erga latinos ac grecos, hebreos et arabicos chaldeosque indiscendo elementis apices sunt prestantissimi dici potest: quam ipsius ad pammachium adoccanum missa profitentur verba dicentis: Dum essem iuvenis miro discendi ferebar ardore nec iuxta quorundam presumptione ipse me docui. apollinarem audivi. antiochie frequenter et dilexi. Tunc cum me in sanctis scripturis erudiret iam canis aspergebatur caput et magistrum potius quam discipulum decebant. Perrexi tamen alexandriam audivi didimum. In multis ei gratias ago quod nescivi didici. Putabant me homines finem discendi fecisse: rursum iherosolime et bethlehem quo labore quo precio barbarianam hebreum nocturnum habui preceptorem: Timebat enim iudeos et mihi alterum exhibebat nichodemum. Hic itaque omnibus ut qui scire cupiunt nosse queant sicut predixi, quo natus quibusque tantus vir magistris